1161

Lenfant Fecit

ILLVSTRISSIMO NOBILISSIMOQVE DOMINO D.

IOANNI DE RIEVX

MARCHIONI D'ASSERAC.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE



NTIQVORVM ſolemnis ritus fuit, MARCHIO ILLVSTRISSIME, *vt conuerſis in Orientem oculis, ſacrorum ſuorum auſpicarentur initia, & ſanè quis non dederit Antiquitati veniam, ſi primis aſpectibus ſalutauit Orientem, cùm nihil oſtentet Naturæ theatrum ſpecioſius orientis Solis ſpectaculo, nihil quod hominum religionem magis alliciat; publicis itaque ac ſolemnibus votis Theſes meas conſecraturum, tibique multis nominibus addictum admonuit priſca conſuetudo, nec aliunde petenda auſpicia, nec oculos aliò conuertendos, quàm in Te ipſum primo ætatis Oriente ſpectabilem, jámque erumpentibus optimæ indolis radiis, & antiquo Majorum ſplendore coruſcantem: Iis quippe Auis Proauiſque geni:us es*, MARCHIO ILLVSTRISSIME, *qui Ducum, Regum etiam titulo totam Armoricam ſummo cum imperio tenuère: Ea, inqnam, eſt Rioxenſis Stirpis origo, quæ primæ Regum noſtrorum Familiæ coæua, & longâ ſeculorum canitie venerabilis, Borbonij inſuper acceſſione & reciprocatione Sanguinis Heroas peperit ad omnem poſteritatem memorandos. Micant in Annalium monumentis inextincta Sydera Raulfus, Guillielmus, Claudius, Rolandus, præditi omnes Romano pectore: Sed latè Nominis ſui ſplendorem explicat* PETRVS DE RIEVX *Regni Gallici non tam Mareſcallus, quàm Reſtaurator & Vindex, qui Carolum ſeptimum Delphinum, ſæuientidus Aurelianenſium & Burgundionum diſcordiis eripuit, pretioſúmque populis Caput ſingulari fide reſtituit, inuictâ fortitudine ſoſpitauit, armis etiam animiſque cum Puellâ Aureliacâ conjunctis, Anglos in Gallorum perniciem conjuratos, & ipſa Regni præcordia lacerantes, non Aureliis modò, ſed Galliæ finibus expulit, æternámque meritorum ſuorum memoriam poſteris reliquit, virtutum verò imaginem nulla temporum fuligine violandam. Equidem nobiliſſimæ Proſapiæ laudes prolixiùs perſequi ſtudium dulce, ſed intra Epiſtolæ anguſtias cogi nequit tot illuſtrium Auorum numeroſa gloria. Vnum addam quod ſine piaculo præterire non poſſum; naſcendi ſcilicet fœlicitatem cumulauit ornatiſſima Parens & ipſa Rioxenſis propago ſanguinis, quæ communem mulierum conditionem longè prætergreſſa, mentis celſitudinem cum morum comitate, temperantiam cum opulentiâ, pietatem cum vrbanitate, vitæ integritatem cum formæ & ætatis integritate ſociauit. Si naturam igitur vimque ſeminis arbor redolet, & ſanguine propagatur virtus; quis dubitet Te*, ILLVSTRISSIME MARCHIO, *in quem ſe maternum decus & auitum robur transfudit, jam nunc creſcere ſuſtinendis olim Majorum laboribus ſimul & honoribus. Hæc dum ego Tibi ac inclytæ Parenti tuæ tum obſeruantiæ tum beneficiorum titulo deuotiſſimus & ſpero & flagrantiſſimè cupio, Rioxenſis interim Nominis decus & gloriam quantâ potero grati animi ſignificatione prædicabo.*

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XV. IANVARII.

M. GVIDONE CRESCENTIO FAGON, Doctore Medico, Præſide.

1161

Fit-ne ſudor cruentus Naturæ vi?

SVDOR tenue eſt ac humidum triplicis, quæ in viuentibus obitur, coctionis excrementum aquæ inſtar per cutem actum. Quapropter ſigna, lapides, ligna, vt aliquando acceptum humorem reddiderint, reuerà non ſudarunt; nec enim ſanguis, nec ſudor, niſi in corpore eſt. Cibi autem pars aquea, ipſáque epota aqua, minimè quidem ad alendum, ſed ad decoquendum alimentum, ac vel in vltimas corporis partes deportandum optimè comparata; ſi eo functa munere ad veſicam deferatur, vrina; ſi in corporis ſumma emergat, ſudor eſt, qui interdum aquæ in modum erumpit, interdum inſiti caloris vi ſolutus exhalatur; ſicut viciſſim in ſudorem plerùmque abeunt vapores, extimarum, ad quas appellunt, partium frigore coacti. Quin & crudi illius ſucci, qui carnibus reliquíſque particulis ſuauiſſimo paſtis adjungi non potuit, liquatúſque dilabitur, habet admixtum quid ſudor, qui propterea ſalſus eſt, quandoque & amarus, vt in Ictericis: Nec rarò fœtet, maximè cùm à vietis membris, vel ab iis prodit locis, in quibus ferè trux caper habitat. An certa fœminarum fœcunditas, quarum ſudor aut re ipſâ, aut idcirco bene olet, quia nihil olet?

QVANTO valentior eſt cujuſque calor, tantò major eſt quæ ſenſum fugit difflatio, pauciórque ex probè coctis alimentis ſupereſt qui per cutem extrudatur humor. Si quis tamen inde ſanum hominem ſudare negat, vix ipſe ſanæ mentis eſt. Nec ſi eadem eſt vrinæ & ſudoris origo, hoc cutem continenter diffluere neceſſe eſt, quòd illa ad veſicam continenter defluat; ſcilicet pendenti, & è carneis renum papillis in labrum ſtillanti ſero patent directæ ac præcipites viæ, quas ſponte decurrat: Id ipſum quoquoverſum excurrens, & ad extremum corpus deductum, non inutiliter ſubſidet: nec ſtatim effluit, niſi labore motúque concitatiore, aut ſi ab iis quies eſt, caloris ac ſpirituum impulſu foras projiciatur per apertiſſima cutis foramina. An iis hyemis, quâ & calor excellit, frigore interclusis, minùs quàm æſtate deſudamus? Nullus quoque è ſicco ſudor eſt; ob eam rem ſenes, bilioſi, peruigiles, qui fuſiore ſunt aluo, qui igni propiores ſunt, Soliſve ardorem nudi ſuſtinent, minùs ſudant; paulò largiùs, feréque noctu melancholici; hectici, hydrope vexati, & cæteri quibus inaruére viſcera, nunquam. Vt tantùm ad valentes pertineat qui naturalis eſt ſudor: prudenter & arte excitatus à grauiſſimis morbis vindicet, caloríſque ſuauitatem tueatur aut afflet: Qui ex morbo eſt, inanis ſit, vel ſymptomaticus, criticus planè nullus haberi debeat..

AD pernoſcendum quid in intimo geratur corpore, habet momenti plurimum, qui per ejus ambitum effunditur humor, habet & effuſi humoris color. Nunc enim expeditæ & valentis; nunc impeditæ dejectæque Naturæ opus eſt. Frigidus ferè calorem extingui; qui à cibo fit, ventriculum inter coquendum laborare denunciat. Neque tamen veritatem id obtinet, vnumquemque, quâ parte ſudat, laborare ſemper. Nec ſemper ſolitarium poſtremæ coctionis recrementum, ſeróſique humoris reliquiæ ſeſe inferunt in patentes cutis meatus. Plerùmque vnà cum iis excidunt fœdi humores, quos validus calor ſejunxit à ſanguine, velut ab auro fecem. Inde vittæ atque induſia pallent; interdum virent, albeſcunt, rubent cruentum ſudorem ementita. Etiam vini rubri recèns hauſti colorem ſudor aliquando retulit. Nec ſemel effœto jecore, perinde ac in demorſis ab Hæmorrhoo, totum corpus fuit pro vulnere; ſaniéſque, ſiue ſanguis nondum ſatis excoctus, aut corruptis diſſolutíſque fibris liqueſcens, affatim per laxiora cutis ſpiramenta euaſit. Ita quoque nonnullorum febre peſtilenti ac variolis infeſtatorum membra omnia ſanguinem, vel certè rutilum pro ſanguine virus emiſére.

NON ſolùm ſuperflui & inutiles, vtiliter; ſed etiam vtiles, & Naturæ vſibus apti humores, eâ inuitâ quandoque ſudore diſſipantur. Is quo defecti animo madent, non tam ſudor eſt, quàm portio quædam cognati & ad alendum idonei ſucci, quem extremæ corporis partes, perennis effluuij damna ſarturæ, ad ſe inuitatum continere nequeunt. Flatus, acre ſerum, calculus, dum ardentiſſimum dolorem inurunt, haud valde diſſimilem ſudorem euocant, vix ante, quam is vniuerſus exhauſtus ſit, finiendum. Inceſſus celerior, curſus, lucta, balneum, pugna, & ejus generis alia plurima, ſudorem multò, quàm quæ perperam dicuntur idrotica, certiùs promptiúſque creatura, nonnunquam ab iis, quæ in habitum cutémque deſinunt venis & arteriis, liquidum ſanguinem exprimunt. Nec modò cauſarum quæ foris ſunt, ſed etiam internarum vi exigitur, eóque copioſior manat, quò harum, quàm illarum, major eſt efficacia. Vt porrò multa ſanguinem colliquefacere, cum eóque ſpiritus jactare & huc illuc impellere valeant; nihil æquè ac vehementes animi permotiones. Non tot motus, nec tantas, támque varias fluctuum agitationes habet Euripus, quot ab illis quidquid in corpore fluit; quod manifeſtè loquuntur ſuſpenſus ac incertus vultus, ménſque, & toties mutatus, nec vllâ certâ ſede manens color.

QVEMADMODVM mœrore, metu, pauore perculſorum ſanguis penè conglaciat, cutem deſtituit, ſe ſéque in intimos cordis ſinus recipit cum ſpiritibus, qui & craſſeſcunt, obſcurantur, torpent, extinguntur; à ſuis functionibus abſcedit anima, corpus conſiſtere nequit, riget, transfixum non ſentit: Sic in amore & gaudio, niſi fortè hoc effuſum animam exhauriat, ſanguis & ſpiritus; ceu ipſa ſint anima, aut in ipſis tota ſit, blandè effunduntur ad lætitiæ autorem quaſi complectendum. In irâ, magíſque in angore & agone, in quo & vehemens eſt impulſio, & inordinatus eorum motus, adeo in corde feruent, ebulliunt, ex eóque emiſſi tanto impetu currunt, ſuppetias videlicet laturi inſtrumentis, quibus, quod ſtomachum facit, depellatur; vt quocúnque penetrent, & tanquam immiſſæ furiæ, vaſorum quibus clauduntur oſcula reſerent, reſignent, rumpant, maximè vbi vegetam vim addit temperies, ac ætas florentiſſima, peruium laxiúſque textum corpus nullo vnquam morbo violatum eſt, lucidi ſunt & viuidi ſpiritus, clarúſque ſanguis purpureo colore nitet. Quòd ſi præterea præcellens animus imminentis mali opinione verberatus, ſuſcepto conſilio, eóque quod diſcruciat ante oculos propoſito, ſeipſum ſuſcitet, & ad firmitatem incendat; ſi indigniſſimæ mortis laqueis caput expedire vt cupiat, conſtanter nolit; ipſe ſui doloris antagoniſta; quid procliuius quàm vt in eo conflictu, æſtuoſiùs inardeſcens tenuis ac propè ignitus ſanguis, venarúmque haud ampliùs patiens, viam ſibi per omnes cutis ductus, quaſi per riuulos muniat, ab iíſque decurrens, fatum quodammodo anteuertat? Sic olim maximus Imperator dum percitus metueret, ne quid pugnantium militum ignauia victoriæ gloriæq; ſuę detraheret, ſanguineum in ſudorem ſolutus eſt: ſoluti & patrum noſtrorum memoriâ robuſti homines, auditâ capitis ſententiâ. Sed & ſenſibus facta fides eſt, conſecratam virginem, impuriſſimis ſicariis ad eam corrumpendam aduolantibus, ſtupri horrore, mundiſſimum ſanguinem è venis ejus, alióqui tenaciſſimis per corpus integerrimum, ſudoris ſpecie cum vitâ profudiſſe.

Ergo fit ſudor cruentus Naturæ vi.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

M. Guydo Creſcentius Fagon, Præſes.
M. Iacobus de Bourges.
M. Petrus Legier.
M. Ioannes Hammon.
M. Simon Boulot.
M. Claudius Tardi.
M. Petrus Legier.
M. Ioannes Pietre.
M. Claudius Germain, primarius Reginæ Poloniæ Medicus.

Proponebat Lutetiæ PETRVS LOMBARD, Heduenſis, A. R. S. H. M. DC. LXV.